Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

stium testimonio perhennari. Hinc est quod ego Lvdwicus de Liehtenawe tenore presentium notum fieri cupio tam presentibus quam futuris quod de prediis meis que me ex parte patrimonio hereditarie contingunt videlicet redditus trium talentorum et lx. denariorum sitos in Reving vendidi cum omni iure quod mihi in villa sev extra villam in eisdem redditibus competebat viris Religiosis scilicet venerabili abbati de Zwetel domino Ebroni ac suo conventui in perpetuum possidendos promittens et harum testimonio eisdem viris religiosis predictam emptionem secundum tenorem defensare. Se vero per huiusmodi emptionis occasionem ipsis fratribus dampnum quodcumque eveniat vel gravamen, ad similem recompensationem presentium auctoritate redditus trium talentorum in villa mea Liehtenowe obligo firmiter et expresse. Ad maiorem igitur confirmationem et ne alicui calumpnia sev malignitas de predicta emptione in posterum oriatur, hanc litteram supradicto domino Ebroni venerabili abbati de Zwetel suoque Conventui dedi cum sigilli domini Levtoldi de Chvnring pincerne Austrie atque mei sigilli munimine roboratam cum testibus subnotatis quorum sunt hec nomina. Dominus Haimricus de Velsperch dictus de Chvnring. Dominus Hvgo et filii sui de Liehtenvels. Dominus Aloldus de Chyawe. Dominus Chvnradus de Potendorf cum fratribus suis. Heinricus de Mizzingedorf et alii quam plures. Datum et Actum in Zwetel in presentia totius Conventus eiusdem loci anno domini M°. CC°. lxxxiij. in die beatorum Symonis et Iude.

Quia cum decursu temporis rerum gestarum simul defluit ac perit memoria humana, necesse est ut litterarum ac fide dignorum testium testimonio roboretur. Hinc est quod nos frater Ebro dictus abbas de Zwetel totusque conventus ibidem notum fieri cupimus tam presentibus quam futuris quod apud nobilem virum dominum Lvdwicum de Liehtenawe redditus unius talenti et xviiij. denariorum cum pleno iure comparatis quos ipsos redditus idem dominus Lvdwicus hactenus habuit et possedit comparavimus pro decem talentis currentis monete secundum consuetudinem terre Austrie legittima emptione. Cum vero unicuique secundum iusticiam quod suum est sit exhibendum, nos viro honesto domino Ottoni dicto Nevneker qui pecuniam dictorum decem talentorum de suis propriis denariis pro prefatis redditibus persolvit ex integro et ex toto eosdem redditus contulimus tam sibi quam heredibus suis iure perpetuo possidendos, tali tamen interiecta pactione ac sollicita posita obligatione ut in festo beati Michahelis pro censu xv. denarii persolvantur ad nostrum monasterium omni occasione penitus remota, quem censum annis singulis per magistrum curie in Reving censuimus recipiendum. Ut autem in posterum super hac emptione omnis turbacio cautius evitetur, hanc sponsionem ac securitatem tam congruam recepimus, quod dominus Albero de Hohenstain et dominus Otto de Rastenberch una cum heredibus ipsorum si forte questionis vel controversie aliquid nobis vel domino Ottoni dicto Nevnecker aut illius heredibus natum fuerit de ipsis redditibus defensionem prestare ac tuitionem presentiarum testimonio teneantur. Statuimus et firmiter observandum si in ipsis possessionibus emptionis venditionisve causa mutacio personarum evenerit, ius quod in wlgari dicitur anlaite vnd ablaite in posterum tam emens quam vendens ad predictam curiam in Reving persolvere non omittat. Ad maiorem nempe cognitionem et elucidationem per loca sic ipsos redditus specificamus: in Reichpoltstorf de uno fevdo v. sol., de una area xl. den. et de alia xij. Item de vinea que dicitur Pevnta Hvgonis xxxij. Item de eadem vinea x. den. Item in Reichpoltstorf de una vinea retro villam x. den. Item ibidem de una vinea v. den. Ne quidem nobis calumpnia vel dolus in hiis omnibus cupiam possit obviare, hanc litteram sigillo domini Alberonis